



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

VIII. De diversis affectionibus vel statibus quibus anima subest Deo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

## S E R M O VIII.

De diversis affectionibus, vel statibus, quibus anima est  
sub D E O.

Quod diversis nominibus Deum nunc quidem Patrem, nunc Magistrum  
vocemus, aut Dominum, non illius simplicissimæ & omnino invariabilis naturæ diversitas ulla in causa est; sed affectionum nostrarum multiplex  
variatio secundum diversos profectus animæ vel defectus. Videntur enim  
quædam animæ sub patrefamilias agere, quædam sub Domino, quædam sub magistro,  
quædam quoque, sub patre, & nonnullæ cum sponso, ut cum proficientibus  
proficere, cum immutatis mutari videatur & ipse, quia juxta Prophetam  
mutat quidem creaturas, & mutabuntur, licet idem ipse sit, & anni  
eius non deficient. Denique quid in alio psalmo idem Propheta ad ipsum  
loquatur attende: *Cum sancto*, inquit *b*, *sanctus eris*, & *cum viro innocente*  
*innocens eris*, & *cum electo electus eris*: atque ut magis miremur, & *cum*  
*perverso perverteris*. Et quemadmodum sic mutetur, imò sic mutet immu-  
tabilis ipse, secutus adiungit: *Quoniam tu populum humilem salvum facies,*  
& *oculos superborum humiliabis*.

At vero quoniam non prius quod spirituale, sed prius quod animale,  
deinde quod spirituale: videntur mihi quatuor interdum conversionem  
nostram præcedere status; unus sub nobis ipsis, tres sub principe mundi  
huius. Est enim anima sub seipsa, cum propriam sequitur voluntatem, li-  
bertate perniciose gaudens. Hic est filius ille prodigus, qui portionem pa-  
ternæ substantiæ, quæ se contingebat, accepit *c*: ingenium scilicet, me-  
moriæ, vires corporis, ceteraque similia bona naturæ: quibus non ad di-  
vinam, sed ad suam uteretur voluntatem, essetque tanquam sine Deo in  
hoc sæculo. Est autem interim homo sub se, cum propriæ satisfaciens vo-  
luntati, necdum tamen possidetur à vitiis & peccatis: quoniam qui facit  
peccatum, jam non sui ipsius servus est, sed peccati. Jam tunc ergo profi-  
ciscitur in regionem longinquam, qui prius quidem separatus erat, sed nec-  
dum elongatus à patre. Accepta siquidem portione substantiæ factus est  
sui juris, & quamvis recessit ab auctore, proximus tamen fuit quandiu ab  
opere non recessit. Hoc autem tandiu fit, dum licita quidem, sed non ex-  
pedientia pro sua sequitur voluntate. Ad postquam recesserit, & à seipso  
declinans, scilicet in peccatum, tunc jam in longinquam vere proficiscitur  
regionem: quoniam ab eo qui summè & singulariter est, nihil longius eo  
quod nullo modo est: nihilque remotum magis ab eo, à quo, & per quem,  
& in quo sunt omnia, quam peccatum, quod nihil est inter omnia.

Porro justum divinæ ultionis iudicium est, ut fugitivum patris filium  
alter sibi usurpet in servum. Unde & profectus in regionem longinquam

E c c c 2

uni

Quinque gra-  
dus seu status  
hominum sub  
D E O.

a Ps. 101. d

b Psal. 17. d

Status 4. con-  
versionem no-  
stram præce-  
dunt.

1. Anima  
sub seipsa.

c Luc. 15. c\*

Parabola de  
filio prodigo  
tropologica ex-  
positio.

uni civium legitur adhæsisse : quem ego non alium , quam unum ex malignis spiritibus intelligendum puto : qui pro eo quòd obstinatione irreparabili peccant , & transierunt in affectum malitiæ & nequitiae , jam non sunt hospites & advenæ , sed quasi cives & inhabitatores peccati. Quid est autem quod civi dicitur adhæsisse pauper adolescens & peregrinus , nisi quod factus est subditus illi ? Denique quemadmodum adhæsit , sequentia manifestant. Sic enim habes : *Adhæsit uni civium regionis illius : & misit eum in villam suam pascere porcos.* Et nota , quòd famis necessitate civi maligno dicitur adhæsisse , sicut Israel tempore famis descendisse legitur in Ægyptum <sup>e</sup> . Periculosa plane & perniciofa esuries , quæ liberos addicat miseræ servituti , subjiciat operibus luti & lateris , porcis associet , imò & servos faciat esse porcorum. Unde autem egestas tanta ei qui dives advenerat , collectis nimirum omnibus quæ de paterna substantia in suam acceperat portionem ? Ex eo sine dubio quod præmissum est dissipasse bona sua vivendo luxuriose cum meretricibus : *propterea* , inquit , *cepit egere.*

<sup>d</sup> Luc. 15.

<sup>a</sup> Gen. 24.a

<sup>f</sup> Eccles. 1.f

<sup>g</sup> Rom. 7.d  
<sup>h</sup> Ibidem.

*Secundus status hominum sub Principe tenebrarum : isque triplex.*

Porro meretrices istas concupiscentias carnis intellige , cum quibus luxuriose vivendo dissipat bona naturæ , dum eis abutitur ad voluptatem. Hinc , ut jam diximus , egestas succedit perniciofa ( teste scriptura <sup>f</sup> ) quod non fatietur oculus visu , nec auris impleatur auditu. Mittitur ergo pascere porcos , corporeos scilicet sensus , qui volutabro luti & spurcitiis oblectantur. Et vide ne forte hi sunt porci , quos eieci ab homine maligni spiritus intrant. Eiectum enim à rationali nostro , id est , mente , peccatum sensibus corporis hæret , Apostolo teste <sup>g</sup> , quòd mente consentiat legi Dei , carne vero legi peccati , quæ est in membris nostris. Unde & in alio loco <sup>h</sup> , *Scio* inquit , *quod non est in me bonum , hoc est in carne mea.* Quid tamen agendum est , cum sic eieci ab homine , porcos inhabitant spurci spiritus , nisi quærenda remedia lachymarum , & currendum ad aquas , quarum abundantia male vivida radix peccati suffocetur in eis ? Quamvis hæc omnimoda peccati extinctio , fini potius reservata videtur.

Hæc ex cursu quodam sunt dicta , ut proinde manifestius assignarem quonam modo eum quem sub semetipso reperit , sibi malignus subjiciat , tanquam fortis armatus intrans & possidens atrium , in quo pauper & debilis inventus est habitator. Veruntamen tripliciter mihi videntur homines esse sub principe tenebrarum. *Primum* quidem nec volentes , nec nolentes , quod convenit his , qui necdum habent voluntatis usum , sunt tamen vasa iræ propter originale peccatum , donec alligato forti vasa eius diripiat fortior , per sacramentum adveniens , verus utique Moyses , qui in aqua venit , nec in aqua solum , sed in aqua & sanguine. *Secundo* modo volentes , eum jam voluntarie peccant. *Tertio* quoquo modo nolentes , eum jam resipisce-

refipiscere vellent, nisi quod peccati consuetudine miserabiliter obligati, iusto Dei iudicio qui in sordibus sunt sordescunt adhuc. In quo tertio statu laborasse videtur prodigus ille filius, & vere prodigus nimis, qui non modò dissipat sua, sed & semetipsum subjecerat, miseræ servituti, infelix venundatus sub peccato, cum ad se reversus ait <sup>h</sup>. *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Si quis expertus est in semetipso, facile credo in his verbis animum miserabilem recognoscet. Quis enim peccati consuetudine obligatus non se felicem reputaret, si datum ei esset tanquàm unum ex his quos in sæculo tepidos videt, viventes sine crimine, minimè tamen quærentes quæ iursum sunt, sed quæ super terram? *Quanti, inquit, mercenarii in domo patris mei abundant panibus*, id est, consolantur in innocentia sua, & fruuntur propriæ conscientiæ bono; ego autem hic fame pereo, id est, insatiabilibus crucior peccatorum desideriiis, affectibus vitiorum? Potest tamen intelligi, quòd non fame panis, nec siti aquæ: sed fame & siti divini verbi, quam & Judææ Propheeta minatur <sup>k</sup>, sese perhibeat laborare. Et hæc dixerim, non quòd ita sit, sed quòd ita sentiat miser humiliatus sub peccato. Neque enim glorientur conscientiæ testimonio, quorum sæcularis & mercenaria intentio est, sed peccator compunctus reputat sanctissimum, quacunque ex causa alterum videat innocentem. *Fac me, inquit, sicut unum ex mercenariis tuis.*

i Luc. 15. d

k Amos. 8. d

Ecce hic jam primus est status, quo sub DEO cœperunt esse homines, qui tanquam mercenarii sub patrefamilias vivunt. Hi sunt, quos in sæculo videmus aut nullo aut exiguo dæsidio æternorum velut sub mercede servire Deo, & ab eo terrena petere quæ desiderant. Jam vero secundo statu incipit esse sub Domino, qui tanquàm servus carcerem timet, & metuit ne subigatur pœnis. In quo sane statu conversio est, exitusque à sæculo, & introitus vitæ: unde & legis <sup>l</sup>: *Principium sapientiæ timor Domini.* Et alius quidam Propheeta: *A timore, inquit <sup>m</sup>, tuo concepimus & parturivimus spiritum salutis.* Huic gradui tertius admodum proximus & quasi permixtus est, eorum scilicet, qui parvuli adhuc in Christo lac concupiscunt, tanquam sub magistro & pædagogo viventes. Id namque convenit maximè novitiis, qui nimirum si forte in consolationibus meditationis sanctæ, lachrymarum, psalmodiæ & cæterorum huiusmodi cœperint delectari quasi puriliter timent ne magistrum offendant, ne vapulent, ne fraudentur munusculis, quibus solet eos eruditor ille benignissimus allicere. Hi sunt, qui provident Dominum in conspectu suo semper; & commoventur si vel ad horam abesse contigerit: nec jam serviliter timent supplicia, sed tanquàm parvuli metuunt plagas virgarum, apprehendentes disciplinâ magistri, nequâdo irascatur, & pereant de via iusta; ne devotionis

Primus status hominis sub DEO tanquàm patrefam. Secundus status hominum sub Deo uti domino.

l Eccli. 1. b  
m Esaiæ. 26. a  
Tertius status sub DEO ut magistro seu pædagogo: isque novitiis serè proprius.

Novitiarum indoles.

gratia subtrahatur, & molesta eis omnia fiant, laborent tædio quodam, & quasi vapulent intus in anima, in amaritudine scilicet cogitationum. Hæc enim verbera, quibus castigat suos parvulos Deus, quæ melius experimento dignoscimus quam sermone. Unde & ipse Dominus loquitur per Prophetam: *Si dereliquerint filii eius legem meam, & visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.*

n Psal. 88, c

In his itaque primordiis, & quasi infantili ætate sic vicissim sibi succedunt timor Domini, & disciplina magistri, ut nunc in isto, nunc in statu illo sese inveniat quisquis sollicitus fuerit diligenter hoc observare. Inde est, quod novellæ adhuc Ecclesiæ loquens, simul utriusque nominis meminit,

o Ioan. 13, b

dicens °: *Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim.* Agnoscant hic locum suum novitii nostri, ut solliciti sint de cætero sedulo magis circa ista versari: ante omnia siquidem timor eis necessarius est, quo nimirum peccata possint præterita delere, cavere futura. *Timor enim Domini* (ut ait scriptura *P*) *expellit peccatum*, sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare. Expellit sane illud quidem pœnitendo, hoc resistendo. Sed quoniam arcta & ardua est via quæ ducit ad vitam: ceu parvulis in Christo pædagogus vobis, ô filij, ac nutricius necessarius est, qui doceat, deducat, foveat vos, & tanquam alludat parvulis, ac blanditiis quibusdam consoletur ne pereat ætas infirma. Propterea non ego, sed magis

p Eccli. 1. c\*

*Pædagogus parvulus seu novitii necessarius.*

q 1. Pet. 2. a

Ecclesiæ Princeps & Pastor vos admonet *1*: *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite*, ita sane ut in eo nequaquam permaneat, sed in eo crescatis in salutem. Quod alia quædam scriptura manifestius exprimens loquitur sic *2*: *Gaudete gaudio omnes qui lugebatis super eam* (haud dubium quin Hierusalem, de ea siquidem loquebatur) *ut potemini*, ait, *à lacte, & satiemini ab uberibus consolationis eius, & cum avulsi fueritis à lacte, epulemini ab introitu gloriæ eius.*

r Esa 66. d

Ipse est enim status filij jam robustæ ætatis, qui sub patre vivit, nec lacte jam potatur, sed vescitur solido cibo, oblitus sanè quæ retro sunt, in quibus servilis oculus in amaritudine morabatur: sed ne ipsa quidem præsentia considerans, nec parvas parvulorum consolationes captans, magis extendens se in anteriora, ad palmam supernæ vocationis, & introitum futuræ beatitudinis, expectans beatam spem & adventum gloriæ magni Dei. Evacuavit enim quæ erant parvuli, nec circa eiusmodi suaves quidem, sed non perennes consolationes hætenus occupatur. Sed quia jam profecit in virum perfectum, in his quæ patris sunt oportet eum esse, inspirare ad hæreditatem, sedulaque circa eam meditatione versari. Nunquid enim mercenarium eum quis æstimet, qui paternæ inhiat hæreditati, eamque toto affectu experit & expectat, quam nimirum filij mercedem esse, non mercenarii Propheta testatur? *Cum dederit*, inquit

4. Status hominis sub Deo uti Patre.

*À lacte parvulorum aspirandum ad solidum cibum perfectorum.*

quit *s*, dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini: filii merces fru- *s* Psal. 126. a  
ctus ventris.

Invenitur tamen alter gradus sublimior, & affectus dignior isto, cum penitus castificato corde nihil aliud à DEO quærit, quam ipsum DEUM. Crebro siquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum, ita ut jam ex affectu cordis atq; sententia clamet illud de psalmo *s*: *Quid enim mihi est in celo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quicquam tanquam privato sui ipsius amore desiderat anima quæ eusmodi est: sed tota pergit in Deum, unicumque ei ac perfectum desiderium est, ut introducat eam rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur. Unde & jugiter revelata facie, quoad potest, cœlestis sponsi gloriam speculari, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Ex hoc planè audire meretur *s*: *Tota pulchra es amica mea. Audet & ipsa loqui: Dilectus meus mihi, & ego illi.* Atque in huiusmodi felicissima & jucundissima confabulatione delectatur gloriosa cum sponso.

*s. Status hominis sub Deo tanquam sponso.*  
*\* Ps. 72. d*

*\* Cant. 4. d*

S E R M O IX.

De verbis Psalmi: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus *a*.*

*Psal. 84. b*

**I**nvisibilia Dei (Apostolo teste *b*) à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Et est velut communis quidam liber & catena alligatus, (ut assolet) sensibilis mundus iste, ut in eo sapientiam Dei legat quicumque voluerit. Erit tamen cum cœlum plicabitur sicut liber, in quo utique deinceps legere habeat necesse, quoniam erunt omnes docibiles Dei *c*: & quemadmodum creatura cœli, sic & creatura mundi jam non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem Deum videbit, & sapientiam eius ad liquidum contemplantur in seipsa. Interim verò opus habet humana anima velut quodam vehiculo creaturæ, ut ad cognitionem Creatoris assurgat: cum econtra longè beatius perfecti usque angelica natura in creatore notitiam habeat creaturæ, ad quam nimirum excellentiam liceat ad modicum rapta fuisse videtur anima illa beata *†*, quæ collectum sub uno solis radio mundum universum conspexit, de quo miraculo beatus Papa Gregorius in libro dialogorum scribens: *Videnti, inquit, creatorem angusta est omnis creatura.* Felices proinde qui satiantur ex adipe frumenti, nec opus habent sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, qui videlicet invisibilia Dei non in invisibilibus rimando perquirunt, sed in ipsis ad liquidum intellecta conspiciunt. Verum, ut jam diximus, angelicæ felicitatis illud est, non fragilitatis humanæ.

*\*b Rom. 1. c*  
*Mundus liber, in quo Dei sapientia legitur.*  
*c Ioan. 6. c*

*Ad cognitionem creatoris ascendit anima vehiculo creatura.*  
*† S. Benedicti.*  
*S. Gregor. lib. 2. Dial. cap. 35.*